



G H W

1 6 2 4





Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia  
sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
eodem respectu sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
sua à omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserantur, et saltem  
ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K<sup>o</sup> F.  
W<sup>o</sup> F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~



25

*SPECIALIS*  
METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO V.  
*De*  
SPECIEBUS SUBSTAN-  
TIARUM,  
*Et imprimis de*  
SUBSTANTIA INFINITA,  
*nempè*  
DE DEO,  
*Quam*

Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis,  
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstadiâ Halberstadensis Saxonis,  
Amplifs. Facult. Philos. Adjuncti,

*In*

incluta WITTEBERGENSIUM ACADEMIA  
*Publico examini submittit*

ANDREAS MATTHIÆ BRANDEN-  
burgô - March.

*Ad diem 6. Mart. boris à. 7. matut.*

In Auditorio Majore.

---

WITTEBERGÆ,  
Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

---

ANNO M DC XXIV.



M. J. SEBASTIAN  
DEO  
M. J. CHARLIE  
ANDREAS MATTHIAS BRANDEN  
M. J. SEBASTIAN







SPECIALIS METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO V.

CONTINUATIO.

**H**ucusque fuit communis substantiæ consideratio; sequitur ut illam expendamus *in suis speciebus*: in quantum quidem ad Metaphysicam spectat sub ratione entis, ut supra in *initio* disput. I. monuimus. Ita ergo cum Bono DEO procedimus.

THESIS I.

**S**ubstantia est vel *spiritualis* vel *corporea*. Illa est *Spiritus*, *expers omnis materia*, isque vel *Infinitus* vel *Finitus*.

II. Substantia spiritualis *finita* est *angelus*, *Intelligentia creata*, & *Anima rationalis*. Hinc oritur *pneumatologia*, hoc est, Disciplina seu scientia particularis, quæ de natura & quidditate Spirituum agit in specie. Non enim Metaphysici est inquirere in propriam spirituum rationem & conditionem essentialem: Sed ad particularia entia descendens, ea distinguit prima philosophia, & suis propriis sedibus quævis addicendo, pneumatologiæ adjudicat evolutionem spiritualis naturæ, ut ita spiritus istius sit objectum.

III. *Infinita substantia spiritualis* est Spiritus Increatus, nempe *Unicus & solus Deus*: à quo omnia sunt, ipse vero à nullo.

IV. *Propria verò Dei consideratio*, quæ *ratione Deitatis*, quid sit DEUS, & qualis sit ejus essentia, explicatur particulariter, *non est hujus loci*. Sed acquiescit Metaphysica *in universali illa determinatione*, esse aliquod ens particulare, quod sit spiritus Infinitus: Illudque distinctum ens esse ab aliis spiritibus, qui finiti sunt.



V. Unde *particularis sive specialis & propria DEI seu natura divina explicatio relinquitur alteri particulari disciplina, quæ ex suo illo objecto dicitur THEOLOGIA, hoc est, doctrina seu disciplina de DEO.*

VI. Theologia illa potissimum est *REVELATA, QUÆ ex libro scripturæ docet de Dei natura & voluntate, ubi Deus se variis modis revelavit per scripta Prophetarum & Apostolorum. De qua Theologiâ philosophi nihil.*

VII. Interim adhuc *cognitio quadam de Deo* haberi potest *ex libro natura, licet illa sit imperfecta satis, & ad salutem nulla. Unde oritur THEOLOGIA NATURALIS.*

VIII. Quæ vel *ad Pneumatologiam* referri potest, vel distinctè proponi, quantum hac in humanâ imbecillitate de Deo naturaliter cognoscere licet.

IX. Aliàs non sine causâ *hic in parte speciali Metaphysica quadam de Deo agere solent auctores Metaphysici: Scilicet ea, quæ naturaliter de Deo scimus, & pauca sunt, ita ut non videantur peculiarem disciplinam requirere: & ex universali entis ratione plurimum derivantur.*

X. Quam ob causam & nos quædam *quesita de Deo hinc explicabimus* mox apponenda.

XI. Hic breviter notetur, *Deum esse Infinitam substantiam. E. Deus erit Infinitus in essentiâ, ita ut non potuerit non semper fuisse & esse: etiam non potest non semper obtinere, & quasi retinere illud suum esse.*

XII. Unde Deus erit *infinitus in potentiâ, ut sit omnipotens: Infinitus in scientiâ, ut sit omniscius: Infinitus in duratione, ut sit æternus: Infinitus in presentiâ, ut sit ubique & omnipræsens: Infinitus in perfectionibus & virtutibus omnigenis, ut sit infinite justus, infinite misericors, infinite bonus, infinite sanctus, infinite purus, infinite gloriosus & laudabilis nimis: cui merito sit laus infinita, honor & gloria in secula seculorum.*

XIII.



XIII. Substantia corpora est *Corpus*, idque est materiale, constans ex materia & forma, tanquam ex principiis essentialibus componentibus.

XIV. Hinc oritur alia *disciplina particularis, que corpus consideret*, ejusque naturam propriam distinctè evolvat, & dicitur *Physica* ex eo, quod corpus quatenus naturale est, vel quat. naturam in se habet, perponderet atque exquirat.

XV. Huic ergo *physicæ contemplationi corpus naturale addicit Metaphysica*, ut illud tanquam objectum suum proprium perfectè explicet, inquirendo in ejus principia essentialia, causas naturales, & *πᾶσι* naturalia, corporisque species ordine perlustrando.

XVI. Quod *corpus naturale* dividitur in *Simplex & mixtum*. Simplicia corpora sunt *cælum, corpora cælestia, & elementa*.

XVII. *Mixta corpora* sunt vel *imperfectè mixta*, ut *Vapor & Fumus*, quò spectant *impressiones meteorologicae vel meteora*.

XVIII. *Perfectè mixta corpora* sunt vel *Inanimata*, ut varia metallorum genera, vel *animata*, ut viventia & vegetativa corpora, plantæ, arbores, Herbæ, vel *Animalia*, ut bestia & bruta multiplicia, vel denique *Rationalia*, quale corpus ratione præditum est *homo*.

XIX. Quorum *corporum consideratio & explicatio quidditativa non est Metaphysici*, sed ut jam dictum est, *physici*. Itaque nolumus hic præter rem reive necessitatem immorari.

XX. Qui ergo *distinctam horum corporum notitiam* adfectat, illum *Metaphysica rectè remittit ad physicam*, cui unice præscribit hoc munus exquirendi naturam & essentialiam corporis naturalis unâ cum speciebus. Hæc ergo de speciebus substantiarum hic ita sufficiant.



QUESTIO I.

*An Doctrina de DEO pertineat ad Metaphysicam?*

In confesso est, quod duplex detur de DEO Notitia vel doctrina: nempe Una Naturalis; Supernaturalis altera. Hæc ex libro scripturae sacrosanctæ & principiis omnem captum creaturarum transcendentibus, & rationi planè incognitis hauritur. Illa ex libro natura & naturali lumine cognitis principiis derivatur confirmaturq;. Hæc Apostolo Paulo in Epist. ad Rom. c. 1. dicitur τὸ ἀγνωστον τῆς θεῆς. Illa verò ab eodem indigitatur τὸ γνωστον τῆς θεῆς. Utraq; sedulo & studiosè discenda est, ac peruestigenda. Una quidem in Theologiâ secundum literarum divinarum dictamen: altera verò in Philosophiâ secundum nature documenta. De hac posteriore DEI notitiâ naturali nostrum quærit ζητημα: An illa debeat explicari in Metaphysica. Supposito enim hoc, quod in Philosophicis disciplinis tractari possit de DEO: Cum in objecto, quod contemplatur Philosophus, etiam DEUS inveniat: Cum naturale lumen intellectus nostri se extendat ad DEI notitiam: Cumque DEI notitia nimirò perficiat cognitionem nostram naturalem: non immerito disquiritur, ubi nam propriè, & in quâ Philosophiæ disciplinâ distinctè agi possit debeatvè de Deo, prout naturaliter est cognoscibilis. Non quidem dubium est, quin generaliter de DEO multa præcipiantur, explicenturq; in Metaphysica. Cognoscitur enim inibi DEUS, absolute ut Ens, itemq; respectivè, quatenus est causa prima rerum omnium, ut rectè docet R. Dn. D. Jac. Mart. part. Met. l. 2. sect. 2. quest. 1. Neque insuper dubium est, quin respectivè per modum principii vel cause DEUS queat considerari in quavis Philosophiæ parte. Ita namq; de DEO agit Physicus tanquam de primo motore. Ita Ethicus de DEO præci-



*precipit tanquam de causa vera felicitatis. Ita Politicus de  
DEO tanquam de causa Reipublica, & sic in aliis. Ut non  
inscite docet Scheibl. libr. 2. Metaph. c. 3. art. 1. tit. 1. punct. 2.  
Verum de speciali DEI tractatione dubium est non exi-  
guum: Videlicet ubinam sub ratione propria, ut loquun-  
tur, quidditas DEI, quantum naturali lumine fieri potest,  
indagetur & pertractetur. Sunt hac de re tres opinio-  
nes. Quidam tractationem de DEO referunt ad partem  
specialem Metaphysice, ita ut per se & essentialiter ibi de-  
beat DEI doctrina suscipi & expediri: Et hoc ideo,  
cum DEUS sit quasi species ipsius Entis: Jam vero Meta-  
physicam debere descendere ad species Entis cognoscen-  
das. In DEO autem hoc magis obtineat, eo quod DEUS con-  
tineatur sub abstractione Metaphysica, qua ipsis est secun-  
dum rem & rationem. Hinc Scheibl. libr. 2. Metaph. c. 3.  
probaturus, quod recte tractetur de DEO in Metaphysicis  
absolutè, ita inter alia docet. Patet, quod DEUS contine-  
tur sub abstractione Metaphysica propria. Est enim DEUS  
aliquid abstractum à materia. At abstractionis identitas  
optimè constituit disciplinas. Sic multi alii. Verum hæc  
opinio stare non potest. Non enim dicendum est, quod  
disciplina universalissima debeat per se contemplari aliquod  
Ens particulare. Sic enim fieret particularis. DEUS  
autem Ens singulare est, & non aliquod universale.  
Quomodo igitur universalissima scientia, nempe Meta-  
physica, per se & directè considerabit DEUM sub rati-  
one speciali, hoc est, sub ratione Deitatis: Prout quoad  
suam propriam quidditatem DEUS cognoscitur, quan-  
tum scilicet naturali lumine fieri potest. Quod ve-  
rò adfert illa opinio de descensu Metaphysice ad species  
Entis: Ibi quidem non negatur, quod Metaphysi-  
ca teneatur descendere ad species suas vel rectius ad  
ana-*



analogata sua: sed quousq; id, alibi explicant alii. Quod ad præsens negotium attinet, facile constat, quod *non debeat Metaphysica descendere ad specierum species*, ut loquuntur, *ut nimirum illas sub ratione propriâ vel quidditatis specifica explanatione evolvat*. Licet enim in genere substantiarum descendat Metaphysica, non modo ad ipsam substantiam tanquam genus summum, sed etiam simul ad substantiæ species, utpote ad corpus, mixtum, animatum: (idem iudicade descensu Metaphysicæ in reliquis Entis generibus) non tamen inibi *quidditative explicat, quid specificè constituat naturam corporis: quenam ejus principia constitutiva, que illud per se denominent: quomodo se habeat in formâ propriâ simplex corpore, vel mixtum vel animatum &c.* Neq; verò quid cœlum sit, aut Elementa, aut arbor, directe & per se debet commonstrare. Cur ergo teneatur, aut *quomodo possit Metaphysica tibi explicare ex suis principiis domesticis, quid sit DEUS, quenam habeat attributa, & quas edat operationes naturaliter cognoscibiles?* Ego sane non video, cur magis de DEO *sub ratione speciali & propriâ* possit aliquid determinari in Metaphysicis: quàm de aliis Entium speciebus. Cur non etiam agunt in Metaphysica *de Elementis, de Auro, Argentis, de Cometis, de pluvîâ, de Animalculis quibusvis, de Vermiculis, de Ranâ, de Muscâ, de Leone &c.* Si namque propterea de DEO velint agere in Metaphysicis, quia est species Entis: sanè similiter de iis agendum erit. Nam & illa sunt *species Entis*. Sed urgent abstractionem Metaphysicæ propriam, quod sub illa spiritus & DEUS contineatur. Verum *urgent hypothese[m] multipliciter falsam & erroneam*. Decipiuntur in hoc, quod putent, *abstractionem præcisè constituere disciplinas; quod identitas abstractionum faciat easdem disciplinas; quod que illa, quæ sub eadem abstractionis specie conveniant, omnia debeant revocari ad unam eandemque disciplinam.* Decipiuntur magis in hoc, quod putent, *Metaphysicam*  
abstra-



*abstrahere secundum rem & rationem.* Non enim hæc abstractio convenit Metaphysicæ: sed *illa, que dicitur secundum indifferentiam.* Etenim objectum Metaphysicæ non est simpliciter à materiâ abstractum, ut nequeat applicari materialis: sed Ens se indifferenter habet ad materiata & immaterialia. E. æquè potest esse cum materiâ, quàm sine materiâ. E. est abstractum secundum indifferentiam, ut accuratè disputat Dn. Arniseus in tract. de Objecto Metaph. ut & in vindiciis contra Thomam Rhædam: Ubi satis ostendit contra Rhæd. quod neq; abstractio ulla possit constituere objectum scientiæ, vel disciplinas ipsas; neq; etiam Metaphysicæ competat abstractio secundum rem & rationem. Ex his autem falsis hypothefibus, quia opinio prima de sede propriâ Notitiæ DEI naturalis unicè disputat, illa minimè est tolerabilis. Deindè verò est altera opinio, quæ tenet DEI tractationem in Metaphysicis quidem institui, sed *non per se*, ac si essentialiter spiritualis DEI notitia eò pertineat: Verùm *pro accid: quasi, propter imperfectionem illius naturalis notitiæ divinæ, quam nos de DEO naturaliter habemus*: ut ita non directè de DEO præcipiat Metaphysicus in parte speciali, sed appendicis saltem loco: Et hæc est præceptorum nostrorum sententia, eaque minimè reprehendenda. Rectè enim docet R. Dn. D. Jac. Mart. in part. Metaph. l. 2. s. 2. q. 1. *Quia illa particularia, que de DEO naturaliter intelligimus, sunt valdè exigua; putamus totam de DEO doctrinam naturalem in Metaphysicâ commodè proponi: Eum verò, qui specialiozem & perfectiozem tractationem desiderat, ad fontes Israëlis limpidissimos amandandum esse: Unde ea propriè & sine turbulentiâ bauriri potest.* Adde, quod omnia, quæ naturali lumine de DEO sunt nota, fiunt unicè ex ratione Entium, quam evolvere Metaph. incumbit unicè. Interim *tertia* adhuc est sententia, quæ ad peculiarem disciplinã refert notitiam de DEO: ut nimirum doctrina naturalis de DEO constituat cum notitia spirituum

B

natur-



naturaliter cognoscendorum novam & certam aliquam  
disciplinam. Et hæc est *Pererii l. 1. de phil. c. 6. 7.* Et hodie ap-  
probatur à Metaphysicis accuratioribus non paucis. Sic hæc  
de Re. Dn. D. Jac. Mart. Metaphysicorum hujus ævi princeps.  
*Arbitrantur ipsam* ( nempe qui negant DEI tractationem  
per se ad Metaph. spectare ) *specialem DEI doctrinam peculi-*  
*arem requirere scientiam: Cum Metaphysici non sit de peculi-*  
*aribus agere Entibus. Et certè non est de nihilo, quod dicitur. Sed*  
*hæc ditiolem merentur disquisitionem. Hac vice quæstio-*  
*nem præsentem ita concludimus. Ut quidem Essentialiter*  
*Dei doctrina specialis non pertinet ad Metaphys. contemplatio-*  
*nem: tamen ibi non incommode potest pertractari.*

#### QUÆSTIO II.

*Quomodo DEUS naturaliter cognoscatur?*

DEUM ex principiis naturalibus lumine naturali posse  
cognosci, jamdudum obtinuit schola Aristotelica. Non  
enim obscurum est, quomodo *Aristoteles princeps omnium*  
*rite philosophantium adscenderit in cognitionem primæ causæ*  
*& primi motoris lib. 8. phys. & alibi passim.* Constat, quomo-  
do cognoverit Aristoteles omnia, quæ in hoc universo sunt,  
& ipsum adeò mundum à primo aliquo principio causaliter de-  
pendere, & effectivè esse productum. Licet enim in modo pro-  
ductionis & dependentiæ istius errarit; dum statuit mundum  
ab æterno esse, quasi mundus ita dependeat causaliter à DEO,  
ceu radii solares vel lumen à Sole: Licet, inquam, quoad  
hunc modum creationis errarit Philosophus: tamen rem,  
*ipsam rectè tenuit*, nempe quod mundus à Deo causaliter &  
*effectivè sit & dependeat: & ita creationem mundi confusam à*  
*Deo factam perspexit.* Nos autem hodiè distinctiùs scimus è  
*scripturâ creationem omnium rerum: quomodo DEUS*  
*omnia ex nihilo produxerit in tempore.* Et sic certiores esse  
possumus ex Christianismo nostro de sententiæ istius Aristo-  
telicæ veritate, quod sc. Aristoteles rectè probarit ex prin-  
cipiis naturalibus, quod omnia ab uno primo effectivè &  
cau-



causaliter dependeant. Unde jam Christiani philosophi felicitatis naturalem Dei notitiam, ab Ethnicis aliquo saltem modo quasi per transennam conspectam, venari habent atq; propugnare. Confer R. Dn. D. Jac. Mart. in exerc. 5 part. Metaphys. libr. 2. Item in speculo Rationis lib. 1. passim. Ubique verò cogitandum est, quod hæc notitia DEI naturalis ad revelatam illam, quæ ex verbo scripto depromitur, vix umbra sit, & ad salutem nulla. Confusa est & multis modis imperfecta, quæ naturaliter de DEO traditur doctrina: Non verò distincta. Apprehensiva est, non comprehensiva: Quiditatis est, non quiditativa. Quod si quæris, quomodo illa qualis qualis DEI notitia acquiratur, triplicem in primis commonstrant Philosophi viam. Quippe cognoscitur Deus naturali lumine è principiis naturalibus vel viâ Negationis, vel viâ Eminentia, vel viâ Causalitatis, sive per operationes & effecta. VIA Negationis cognoscitur Deus in philosophiâ, quæ ab illo tanq. infinito & supremo ente removemus omnes imperfectiones & imbecillitates, quæ inveniuntur infinitis & abjectis creaturis. Sic quia scimus hominem esse corporeum, visibilem, localem & circumscriptum; inde deducimur in cognitionem simplicitatis divinæ, invisibilitatis & immensitatis; quando nimirum cogitamus, hæc imperfectiones esse removendas à DEO. Hic cognoscimus DEUM, quod sit incorporeus, invisibilis, & illocalis sive incircumscriptus. Porro cognoscitur DEUS in Philosophiâ VIA EMINENTIÆ, quæ ipsi tanquam perfectissimo Enti tribuimus omnes perfectiones, quæ reperiuntur in rebus nobis planè perspectis, & quidem modo eminentissimo. Quia namq; à Deo debemus removeere imperfectiones creaturarum: Et tamen oportet, ut is etiam habeat suas perfectiones, relinquatur, quod Deus eminentiores habeat. Patet id ex hoc fundamento philosophico: *Æquivoca causa semper est perfectior & eminentior effectu suo. At DEUS est causa æquivoca hujus universi. E. omnes perfectiones creaturarum tanq. effectorum oportet eminenter præexistere in causâ illâ æquivocâ*



nempe in creatore Deo. Hinc est ratio eminentiæ, cur in vi  
eminenti omnia de Deo prædicentur, quæ aliàs in vi prædica-  
mentali dicuntur de rebus creatis. Sic Bonitas tribuitur  
homini. Dico enim *Homo est bonus*. Et hoc prædicatum et-  
iam convenit DEO. Nam & *DEUS bonus* sit necessum est,  
inquit Philosophus: Unde namque aliàs esset bonitas crea-  
turarum vel hominis? Sed illa *bonitas perfectiori modo*  
& *eminenter DEO tribuitur*. Sic viâ Eminentiæ ex bonita-  
te hominis consurgit Philosophus in cognitionem bonita-  
tis divinæ, ut agnoscat eminentiori modo illam bonitatem  
tanquam perfectiorem fore in DEO tanquam creatore, quàm  
est & conspicitur in homine tanquam in creatura. Sic Philo-  
sopho DEUS cognoscitur Optimus. Sic etiam ex aliis simi-  
libus creaturarum, vel inprimis hominum perfectionibus, no-  
scitur DEUS justus, verax, omnipotens, omnisciens & ita  
porro. Tandem cognoscitur DEUS in pomæriis Sopho-  
rum *VIA CAUSALITATIS*, prout ex effectis & operationi-  
bus DEI, vel inprimis ex modo operationis & productionis  
(Hic enim omninò arguit infinitam causæ istius potentiam,  
cum fuerit ex nihilo) quædam de DEO mente nostrâ asse-  
quimur. Quemadmodum enim in omnibus optima quiditatis  
aueupanda & essentia rerum cognoscenda via ratioq; est ab effe-  
ctis & operationibus. Hæ namque subindicant rationem Es-  
sentia, & modus operandi sequitur modum essendi: Sic etiam  
operationes divinæ nos edocere habent de Essentiâ divinâ. Sic  
cognoscimus DEUM, ut primam causam & primum moto-  
rem. Quia nimirum percipit mens humana, quod nequeat ef-  
se progressus in infinitum in essentiali causarum & principio-  
rum subordinatione; idcirco insimul advertit esse tandem  
perveniendum ad unum aliquod primum, quod moveat omnia  
independentem & non moveatur: quod causet omnia, &  
non causetur ab ullo: quod produxerit omnia, & à nullo sit  
productum: Et sic DEUS agnoscitur ut primum Ens, & crea-  
tor



tor omnium. Insuper adsequitur humanus captus, quod in inferioribus istis rerum statibus & dependentibus creaturis sit defectibilitas, quâ possint deficere, & imperfectio, qua indigent sustentatione à primo illo Ente. Hinc adsurgit, ut cognoscat DEUM ut conservatorem omnium à se productorum & dependentium. Sic ergò Philosophus potest DEI venari notitiam.

### QUÆSTIO III.

*An DEUS sit in predicamento Substantiæ?*

Substantiam esse DEUM negari nequit. Ens enim est: cum maximè sit & existat. At absurdum est vel cogitare DEUM esse accidens. E. erit substantia. An verò in predicamento substantiæ sit, disceptant multi. Sed res plana: & sententia vera: DEUM non esse in genere ullo, adeoq; nec in predicamento substantiæ. Rationes sunt 1. quia DEUS est simplicissimus & actus purissimus, qui nullo modo compositionem admittit. At verò quicquid generi subjicitur, id ad minimum constare debet ex duabus entitatibus: alterâ, quæ respondet in proportionem generi: alterâ, quæ respondet differentiæ: Ubi vero est differentia specifica, ibi est ἄλλο καὶ ἄλλο: Ubi est ἄλλο καὶ ἄλλο, ibi est compositio. E. ubi genus & differentia specifica, ibi est compositio. Sic ergo DEUS, quia est simplicissimus, non locabitur in ullo genere, neq; genus ipsi rectè attribuetur. 2. Si DEUS est sub eodem genere cum creaturis, aut creatura habebunt genus aequè perfectum cum DEO, aut sicut imperfectè dicitur genus de creaturis: ita & imperfectè de DEO. Sed neutrum est admittendum. E. Connexio majoris patet. Species enim ex æquo participant in genere, ita, ut alteri genus non ferat acceptum; sed in generis communicatione planè sunt unum, R. Dn. D. Jac. Mart. part. Met. l. 2. f. 2. q. 4. 3. Substantia predicamentalis dicitur à substando, quod subsistet tam accidentibus, tam superioribus prædicatis essentialibus. At hoc de DEO minimè dicendum est. E. neq; DEUS erit sub-

B 3

aliud



Substantia prædicamentalis. E. neq; in prædicamento substan-  
tia. Quocirca pro decisione questionis tenendum est, quod  
*aliud sit esse substantiam, & aliud esse in prædicamento substan-  
tia.* Hoc enim notat substantiam intentionaliter affectam,  
genere, vel specie, vel differentiâ, prout illa Logicè disponi-  
tur ad aptitudinem prædicandi affirmativam ostendendam.  
Verùm *non ita substantia ut talis.* Sed *substantia ut sic, præcisè  
sumpta, dicitur Ens subsistens, quod inherencia opponitur.* Et sic  
DEUS maximè est substantia, quia *maximè subsistit, & omni-  
bus aliis subsistentiam communicavit.* Hoc est, quod aliàs di-  
cunt *DEUM esse substantiam Metaphysicam: non vero Logicam.*

QUÆSTIO IV.

*An DEO convenient attributa, & qualia sint illa?*

Attributum dicitur, quod reverà *sine ταυτολογία* de alio  
*tanqu. subjecto prædicatur:* quo non planè identica negatio  
committitur: Possent autem dubium esse: *An DEO conveni-  
ant talia prædicata.* Etenim vox attributi videtur importare  
*distinctionem realem ab eo, cui attribuitur,* ut ita sit aliquid  
essentiæ superveniens, quod attributum dicitur. DEUS au-  
tem, quia est *simplicissimus & actus purissimus,* nullomodo ad-  
mittit aliquid, quod est ab ipsius essentia realiter distinctum.  
Quocirca quæri posset, *quomodo DEUS habere queat attributa.*  
Sed hinc brevis est responsio, quod *non omne attributum  
statim importet distinctionem realem à subjecto.* Satis enim est,  
si ratione differat ab eo, de quo prædicatur. Sic *Unitas, Veri-  
tas, Bonitas, dicuntur in Metaphysicis attributa Entis:* Et ta-  
men realem identitatem habent ad Ens, de quo prædican-  
tur. Deinde responderi potest, quod quidem *quoad imposi-  
tionem suam vox attributi possit involvere aliquid diversi ab eo,  
cui tribuitur:* tamen ab hac impositione *usus vocis* hodiè de-  
viat. Unde etsi *vox attributi* primò sit imposita ad signifi-  
candum id, quod quasi supervenit essentiæ rei: nihilominus  
*sepe attributa dicuntur, quæ non superveniunt essentiæ, sed cum  
illa eadem sunt,* ut liquidò apparet *in prædicatis quiditativis,*  
Et in



*Et in unitivè contentis, quæ quidem, quatenus prædicata sunt, attribuuntur subjectis, attamen realem diversitatem minimè subinferunt. His itaque nil obstantibus, omnino dicendum erit, quod DEO attributa quædam convenient. Sic DEO convenient attributa quiditativa, qualia sunt illa, quæ essentiam significant sub confusis sive communibus conceptibus, ut Ens, spiritus, substantia. Convenient DEO insuper & alia attributa, quæ sunt quasi affectiones & passionis ejus, ut loquuntur Philosophi. Sic DEUS dicitur æternus, bonus, verax, justus, misericors, infinitus, immensus, omnipotens, & quæ sunt similia alia. Verùm catè cauteque hinc notandum venit, quod illa attributa DEI non sint accidentia in DEO. Rectè enim pieque habet illud tritum: In DEUM non cadit accidens. Licet enim quædam prædicata de DEO à nobis apprehendantur per modum passionum, non tamen sunt propria  $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$ , neque compositionem important in DEO; quomodo accidens omne cum substantiâ efficit compositum. Repugnat quippe hoc summæ simplicitati divinæ. Qualia ergo sunt, inquis. Dicam uno verbo. *Attributa divina sunt inadæquati conceptus essentia divina. Quod dico hoc est. Mens humana nequit simul distincte cognoscere multa. At verò nomen DEI est quasi pelagus multarum perfectionum, (ut loquuntur Theologi ex Damasceno) in quantum in essentia DEI vel excellentiori modo est, quod in nobis reperitur, vel etiam à DEO remonentur imperfectiones creaturarum. Hinc fit, ut essentiam DEI concipiamus modo cum hac perfectione: modo cum aliâ: sicq; unam illam DEI essentiam, partim in plures conceptus, eandem Dei essentiam inadæquatè representantes. Sic concipimus in DEO æternitatem: quatenus apprehendimus essentiam divinam cum carentiâ terminorum in durando. Sic DEUS dicitur infinitus, quatenus eadem simplicissima DEI essentia sumitur cum negatione vel carentiâ finium. Confer. Scheibl. lib. 2. Metaph. c. 3. Suarez. tom. 2. disp. Metaph. & plerosq; Metaphys. alios.**

SOLI DEO GLORIA.





AD PRÆSTANTISSIMUM ET LITERA-  
TISSIMUM DN. RESPONDENTEM.

**M**ens pia cœlesti latatur Numine, Numen  
Idcirco thesibus conciliare soles.  
Nata tibi est pietas ANDREA pectore rara,  
Ritè Deum mirà dexteritate colens.  
Quod mens scrutatur, loqueris tu Morte sacratò  
Musarum, ut placeant hæc tua castra Diis.  
Pergas ANDREA, nomen super astra referre  
Relligion tuum, palladis arte nitens;  
Sic tibi Numen erit favorabile, Sanctus Olympus  
Te vehet in superos, post pia fata choros.  
Ut tua me virtus tibi rara obstrinxit amore,  
Sic mens obstrictum me tibi reddit amor.  
Erras si quemquam plus me tibi credis amicum,  
Cur ita? Namq̄ meo plus mihi corde places.  
Virtus alma tua hæc, doctrinæ splendor, & ipsum  
Ingenium divum me metra ferre jubent.  
Sic lumen patriæ clarà tu laude futurum,  
Lucebis, faxit quod super orbe Deus.

Paulus Helmreich S S. Theol. D. quondam  
Illustrissimo Archiepiscopo Salisbur-  
genfi à sacris consiliis & concionibus,  
Abbatia Monscê in Austria Postulatus  
investitus Coadjutor, nunc autem ad  
S. August: Confess. conversus.



AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle  
003 357 104


3











B.I.G.

Farbkarte #13

25

ALIS  
HYSICÆ  
TIO V.

SUBSTAN-  
UM,

*is de*

INFINITA,

*pè*

EO,

etæ Trinitatis,

SIDIO

SCHARFII,

adensis Saxonis,

lof. Adjuncti,

BIUM ACADEMIA

*submittit*

HIÆ BRANDEN-

arch.

*ris à. 7. matut.*

Majore.

ERGÆ,

STIANI THAM,

ogr.

C XXIV.

